



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

14. An etiam illis, qui existimantur mortui?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

dum Doctorum sententiam, vt morbus per se grauis sit, & lethalis, sed etiam vt status morbi talis sit, qui infirmum in graui periculo mortis constituat, & ita vsus ecclesiae confirmat: ergo debet expectari aliquis status morbi, qui doceat infirmum existere in tali periculo.

R. Expectare illum statum non esse ita essenziale, vt si ille non expectetur, nullum futurum sit sacramentum, sed sufficit secundum communem, vt morbus iudicio Medicorum per se lethalis sit, & periculosus. Vnde plerique notant, & merito, peccari hac in parte à nonnullis, qui differunt ministrare hoc sacramentum, donec infirmus sensu & cognitione careat, manifeste enim faciunt tum contra reuerentiam sacramento debitam, tum contra proximi salutem.

QVÆSTIO XIV.

*An etiam illis, qui existimantur
mortui?*

Quæstionis explicatio.

PEste infecti, vt ante dixi, morbi violentia agitati, frequenter reperiunt in angulis do-

Dd 4 lis do-

424 DE NECES. ET MOD. MINIST.
lis domorum, in antris, sub scamnis, instar
mortuorum iacentes, vt merito pastores
dubitent an sint mortui: Huius occasio-
ne quæritur, an huiusmodi sint inun-
gendi?

Responsio.

IN huiusmodi dubio, si non potest veri-
tas facile explorari, & timetur, ne dum
medici & periti expectantur, æger for-
san adhuc viuens statim moriatur, po-
test, imo debet pastor conferre hoc sacra-
mentum sub conditione siue verbis ex-
pressa, siue mente cõcepta: (Si non est mor-
tuus, &c.) Generale enim est, omnibus sa-
cramentis, vt in dubiis casibus possint hoc
modo ministrari, vt ante diximus.

Dices primo: Quid si dum incipit inun-
gere, pastor deprehendit esse mortuum,
vel iam mori?

R. Si mortuus est, & de eo pastori con-
stat, nullo modo perget, quia iniuriam fa-
ceret sacramento; neque illa vñctio quic-
quam animæ prodesset: vt ex antedictis
constat. Si incipit mori, & modicum sal-
tem temporis adhuc illi superest, conabi-
tur breuiter substantialia sola adhibendo
se expedire, eo modo, quem infra descri-
bemus.

Dices

Dices secundo: Dionysius (a) Areopagita facit mentionem vnctionis, quæ suo tempore fiebat, circa corpora fidelium etiam defunctorum.

a lib. de eccl. hierar. in fin.

R. Illam vnctionem procul dubio non fuisse sacramentalem, de qua agimus, sed verius fuisse caremoniam quandam, qua corpora fidelium ad sepulturam præparabantur ad imitationem, vt probabile est illius, quam circa corpus Christi Domini factam in (b) Euangelis legimus.

b Matth. 26
Marc. 14

QVÆSTIO XV.

An etiam illis, qui volunt sibi ministrari in ecclesia, in sylua, in publica platea.

Quæstionis explicatio.

T Angit obiter hanc quæstionem Gabriel (c) Biel, & post illum (d) Henricus, cuius occasio potest fuisse, quia tempore pestis multi propter cõtagionem non audentes consistere in ædibus suis, confugiunt ad ecclesias, agros, syluas, publicas plateas, in quibus subinde peste corripuntur: quæritur ergo, an iis debeat ministrari hoc sacramentum, etiam in locis publicis, si ita petant vel res exigat?

c In 4. d. 23.
art. 3. dub. 2.
d lib. 3. summa, c. 11.

Dd 5 R. spon-